

## DEDICATORIA.

3

tur inhumanitas, quæ stultitia, mentis suum innidere honestum gaudium, oculis & auribus non innidere? Rerum naturæ repugnat; qui cum his pugnat recreationibus. Nam qui nihil in naturam introduxit, Creator optimus, cui non cum ad necessitatem, tum ad pulchritudinem & voluptatem abunde prospexerit: is mentem hominis, totius naturæ dominam, suam ipsius imaginem, solam nulla voluptate beauerit? Imò uti non querimus, qua spe commodi cantillet auicula, cum sciamus inesse voluptatem in cantu, propterea, quia ad cantum istum facta est: ita nec hoc querendum, cur mens humanatantum sumat laboris in perquirendis hisce cœlorum arcanis. Est enim ideo mens adiuncta sensibus ab Opifice nostro; non tantum ut seipsum homo sustentaret, quod longè solertiùs possunt vel brutorum ministerio multa animantium genera: sed etiam, ut ab ijs, quæ, quod sint, oculis cernimus, ad causas quare sint & fiant, contenderemus: quamvis nihil aliud utilitatis inde capere-mus. Atq; adeò ut animalia cetera, corpusq; humanum cibo potuq; sustentantur: sic animus ipse hominis, diuersum quiddam ab homine, vegetatur, augetur, & adolescit quodammodo, cognitionis isthac pabulo: mortuoq;, quam viuo similior est, si harum rerum desiderio nullo tangitur. Quare uti Naturæ prouidentiâ pabulum animantibus nunquam deficit: ita non immerito dicere possumus, propterea tantam in rebus inesse varietatem, tamq; reconditos in cœlorū fabrica thesauros; ut nunquam deesset humanæ menti recens pabulum, ne fastidiret obsoletum, neu quiesceret, sed haberet in hoc mundo perpetuam exercendi sui officinam.

Neg, verò harum epularum, quas ex ditissimo Conditoris pen-  
nu in hoc libello, velut in mensa de promo, propterea minor est no-  
bilitas: quod à maxima vulgi parte vel non gustabuntur, vel re-  
spuentur. Anserem laudant plures, quamphasianum, quia ille com-  
munis est, iste rarius. Neg, tamen ullius Apitij palatus hunc illi  
postponet. Sic huius materiae dignitas tanto maior erit; quo paucio-  
res laudatores, intelligentes modò sint, reperiet. Non eadem vul-

A 3

goco n-